

Dissertatio

inauguralis medica

de

Haematemesi

quam

consensu et auctoritate

Magnifici Domini Praesidis

nec non

Inclytae Facultatis Medicae

pro

Doctoris gradu rite consequendo

in

alma ac celeberrima

Regia Scientiarum Universitate Hungarica

publicae disquisitioni

submittit


Alexander Stephanus Stainer,

Hungarus Sátor-Allya-Ujhelyino-Zempléniensis.

Theses adnexae publice defendantur in palatio Univ.
majori die Julii 1834.

Pestini,

Typis Trattner-Károlyianis.



ILLUSTRISSIMO
DOMINO
A N T O N I O
E COMITIBUS
M A J L Á T H
DE SZÉKHÉLY,

SACRAE CAESAREAE ET REGIO-APOSTOLICAE MA-
JESTATIS CAMERARIO, AD EXCELSAM CAMERAM
UNIVERSALEM AULICAM CONSILIARIO AULICO,
NEC NON INCLYTI COMITATUS ZEMPLÉNIENSIS
SUPREMO COMITI. etc.

VIRO
SCIENTIA, HUMANITATE, BENEVOLENTIA
AEQUE INSIGNI,
PRINCIPI ET PATRIAE CHARO,
PATRONO ET FAUTORI SUO BENIGNISSIMO,
IN
SEMPITERNUM GRATI ANIMI,
ET
PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS PIGNUS
HAS LABORUM SUORUM PRIMITIAS
DEVOVET

AUCTOR,

DEFINITIO MORBI.

Haematemesis illam Profluvii cruenti (Apokenoseos) speciem designat, sub qua sanguis ex ventriculo, partibusque contiguis ortum ducens, nunc coagulatus, et ater, nunc — attamen rarius — fluidus, et laete rubens, sincerus, vel peregrinis remixtus, vomitu, ac saepe simul alvo rejicitur.

Denominationes morbi hujus diversae apud diversos inveniuntur Auctores, uti: *Vomitus cruentus; Gastrorrhagia; Oesophagorrhagia; Melaena; Morbus Hippocratis niger; Fluxus spleniticus; Fluxus hepaticus;* — Hung. *Vérhányás;* — Germ. *Blutbrechen; Schwarze Krankheit; Blutung des Magens und Darmkanals;* — Gall. *Hématémèse;* *Vomissement de Sang;* — Angl. *Vomiting of Blood;* — Ital. *vomito cruento; vomito de sangue.*

Sanguinem in haematemesi, sicut praemissa definitio indicat, vasa sanguifera ventriculi, et vicinorum organorum hepatis utpote, lienis, pancreatis, intestinalium tenuium suppeditant, qui passim ingestis: alimentis, potulentis, medicamentis, vel vero bile, muco, saliva, aliisque inquilinis mixtus deprehenditur humoribus; exterminari adeoque merentur omnes illi casus, in quibus homines sanguinem ex ore, aut naribus scaturientem, ac sub somno in ventriculum delatum, vel in vicem nutrimenti assumptum, vel etiam

ut simularent morbum, extrinsecus ventriculo oblatum per oesophagum regurgitant.

F A T A.

Etsi haematemesis ad morbos rarius obviis pertinet, nihilosecius tanien Médicorum eruditissimorum aevi tam antiqui, quam et recentioris, disquisitionibus gloriatur. Jam in operibus HIPPOCRATIS occurrit mentio ejus, locis diversis, cumprimis in libro II^o de morbis. ARETAEUS, et ALEXANDER TRALLIANUS describunt hunc morbum in connubio cum haemoptysi, sub nomine: *rejectionis sanguinis*. Multa exstant exempla illius descripta in Actis Nat. Cur.; In operibus BONETI, FEL. PLATER, HENR. AB-HEERS, LANGII. Imprimis autem conatibus celeberrimorum virorum MORGAGNI, FRID. HOFFMANN, et G. E. STAHL in acceptis referendas habemus notiones de indole haemorrhagiae hujus clariores; cum descriptiones auctorum, cumprimis antiquiorum, singulari in res miras, ac inconvenetas amore abreptorum vanis ultra vagantis phantasiae figmentis, defoedatae ut plurimum occurrant; magna itaque in dijudicatione observationum ab illis allegatarum, cum cautela utendum, ut vera, a falsis discerni queant. Analysis critica si alicubi hic necessaria.

D I V I S I O.

Juxta solitum divisionum scholasticarum modum haematemesis in primariam et secundariam; idiopathicam, symptomaticam et consensualem; in acutam et chronicam; sporadicam et epidemiam; simplicem et complicatam distingvi poterit,

Longe majoris utilitatis practicae est divisio Cel. PINEL quinque haematemeseos varietates statuentis, nimirum: constitutionalem, fortuitam, vicariam, criticam, et splanchnicam.

Constitutionalis (habitualis) haematemesis appellatur illa, quam sola dispositio morbosa, — à constitutione seu habitu corporis individuali, peculiari nimirum ejus fabrica dependens — provocat, nulla sensibus perceptibili causa subversante. Morbosa talis dispositio, vel a connata totius compagis organicae debilitate, vel e contrario a virium vitalium excessu, sanguinis abundantia, et exsuperante systematis arteriosi energia, ortum ducere potest. Complures adducuntur a diversis Auctoribus historiae haematemeseos talis habitualis, attentione quam dignissimae, ex his unam aliamve in medium proferre liceat: LANGIUS adfert casum feminæ, temperamento sanguineo, habitu plethorico instructæ, quæ spatio viginti annorum, vomitu cruento, determinatis epochis, sine prodromis subito ingruente, delinebatnr: Omnes artis conatus profluviū hocce sistendi, aut eradicandi, valetudinem feminæ — secus optatissimam — in magna conjecture discrimina. Idem auctor adnotavit casum Monialis quinquagesimum octavum aetatis annum adtingentis. quæ integra durante vita, quotannis haematemesi, praecedente tussicula, et hypochondriorum dolore, absque tamen febri manifesta corripiebatur, cruento aterrimum fundens. — Matrona quinquagenaria Amstelodamensis — narrat HOFFMANN — prius spatio octo annorum epistaxi vexata, omni mense ante fluxum catameniorum comparere, et usque plenariam eorum eruptionem perdurare veta, elapso vero hoc tempore cessante epistaxi, sex annis haemoptysi detenta, naturæ et decursus ejusdem, qua rursus cessante corripitur vomitu cruento, menstruum fluxum constanter praecedente; Individuum de reliquo erat

plethoricum , victu lautiori , et vitae sedentariae obnoxium. (Hoffm. Med. nat. Tom. IV.)

Adnotazione dignum esse censeo , memorabile et a paucis solum hucusque descriptum symptoma haematemesis constitutionalis ; dicunt nimirum observatores lingvam singulari metamorphosi durante morbi hujus insultu subjici , qua organon hoc a meditullio usque apicem adspectum vitri rubicundi , vel similitudine exactiore gelatinæ cruentae adquirit ; protuberantiae , et eminentiae papillares sensim disparent , et superior ejus superficies nitore ac pelluciditate vitrea instruitur , qua fit , ut caro muscularis caeruleo-rubicunda in profunditate unius in circa lineae cernatur ; peculiaris hic lingvae status sensim sensimque rursus disparet , durante autem illo sensus gustus parum sollemmodo a norma abludit , licet appetentia cibi nplurimum nimium prostrata esse soleat , aeger tantum singularem sensum adhaesionis accusat , dum lingva cum aliis vicinis partibus in contactum venit.

Haematemesim fortuitam appellat Cel. Auctor illam , quam diversissimae causae occasionales (in Aetiologya uberioris elucubrandae) hominem ex improviso invadentes , provocant ; cum autem diversissimae potentiae nocentes , quarum actioni mortales difficillime se subtrahere valent , morbo provocando pares sint , patet hinc hanc haemat. speciem uberrimam esse . Sic copiosissimae exstant historiae vomitus cruenti , per vehementes animi motus : iram , tristitiam , per suppressum menstruorum fluxum , per laesiones mechanicas , regionem scrobiculi cordis imprimis ferientes , per substantias irritantes , acres , causticas , venenatas , sub titulo drasticorum , emmenagogorum , foetum pellentium exhibitas -- inducti .

Vicaria nuncupatur illa haematemesis , quae silentem aliquam haemorrhagiam excipit , vices quasi ejus agens . Rarior haec morbi varietas , communiter

catameniorum defectum, nonnunquam tamen et haemorrhoides, aliaque habitualia profluvia cruenta silentia, supplet.

Critica audit haematemesis, quae — salutaris autocratiae naturae effectus — morborum acutorum rariissimis in casibus judicium constituit. Magnae auctoritatis viri uti ETTMÜLLER, PROSPER ALPINUS, PORTAL testantur, se crises tales cruentas observasse, quod minime in dubium vocare audemus, perpendentes, ventriculum, et tubum intestinalem consuetissimam evacuationum criticarum sedem constituere.

Splanchnica denique dicitur PINELO illa haematemesis, cuius causa in morbosa affectione organorum quorundam abdominalium, hepatis utpote, lienis, pancreatis radicatur. Plurimi melaenae casus hue referendi erunt, de qua alio loco uberiori disserturi sumus.

Respectu characteris praeeunte G. E. STAHL dispescitur haematemesis in activam et passivam, vel secundum REIL et HAASE, cum synocha et paralyssi.

Activa; cum synocha, vel juxta incitabilistas hypersthenica dicenda erit haemat. ubi vitalitas sanguinis, potentiss stimulantibus adaugetur, ita ut sanguis sicut ex aliis partibus, ita nunc ex ventriculi vasis egrediatur, vel ubi sanguis morbosa secrezione effusus, ex ventriculo inflammato, aut ob varias potentias irritantes copia cruoris inundato, excernitur, in individuis, sanguinolentis, bene nutritis, aut haemorrhagiarum aliarum, naturalium, vel habitualium suppressione laborantibus.

Profluvium vero passivum, paralyticum, vel asthenicum praesefert characterem, ubi sanguis ex fracto vasorum abdominalium vigore vitali propulsum, vel ubi haemorrhagiam diurna obstacula humorum circulo opposita produxere. Character hic se manifestat: constitutione laxa, magna virium dejectione,

ictu arteriarum debili, parvo, colore excreti crux atro, cutis vero lurido in plumbeum vergente; occurrit in individuis viscerum abdominalium obstructione induratione, scirrho laborantibus, et scorbuticis. —

Alia adhuc prostat divisio, in typicam certis periodis recurrentem, talis praecipue illa est quae a mensibus, aut ab haemorrhoidibus suppressis enascitur; et atypicam nullo certo ordini adstrictam.

Omnium vero hucusque adductarum divisionum memoratu dignissima, therapiam quam maxime dirigens, hinc practice utilissima merito praedicatur illa a diversa morbi forma petita; quo respectu Haematemesis in acutam et chronicam dispescitur, quae posterior, speciali nomine Melena, seu morbi nigri Hippocratis insignitur. Divisionem hanc licet nedum omnibus numeris absolutam, cum Auctorum et principes sincere fateantur, non posse interdum arctissimos ducere inter duas has species cancellos, ego quoque amplectens, symptomata et decursum utriusque seorsim expositurus sum, persuasus, morbum sub forma chronica adparentem; non tantum quoad gradum ab acuta niniopere differe, verum etiam in symptomatibus, eorumque decursu singularia quaedam offere, quae hunc organismo profundius impactum magisque deleterium esse demonstrant.

NOSOGRAPHIA

I. SUB FORMA GASTRORRHAGIAE ACUTAE.

Gastrorrhagia acuta (haematenesis sensu strictiore) pro diversa subjecti aegrotantis constitutione, pro diverso profluvii foco, pro diversa denique potentiarum nocivarum indole diversa offerre consuevit symptomata. Absque prodromis raro ingruit. In plurimis etenim casibus per longum saepe tempus pree-

cedunt variae circa praecordia molestiae: sensus ardoris, pulsationis, angustationis, et oppressionis, tensionis ac impletionis in epigastrio, cardialgia et dolor punctorius in hypochondrio sinistro, in aliis casibus ad integrum vertebrarum columnam, vel ad regionem lumbalem restrictus. — Adpetitus cibi nunc excessu nunc defectu peccat, nausea, ructus, vomitutions, et vomitus materiae aquosae, saepe acidulae, nonnunquam plane acris, ascensns liquidī acidi, rodentis quasi in cavum oris, quo uberior salivæ fluxus, et fames mordax inducitur, cui si per ingesta nutrimenta satisfit, oppressio et tensio in scorbiculo cordis augentur, si minus, ardoris sensus in ventriculo, gastralgie et colica aegrum magnopere excruciant, symptoma hoc tunc imprimis observatur, si vitia lienis organica morbum produxere, et ex laesahujus organi functione explicatur (AUTENRIETH).

Superveniunt his diversa respirationis, et circulationis laesa symptomata, singultus ut pote, respiratio tarda, suspiriosa, cardiopalmus, pulsus parvus, contractus, saepe intermittens, quibus flatus copiosi allevantes, vel cum augmentatione molestiarum ructus pessime olentes accedunt; sensuum externorum hallucinationes, aurium susurrus, capitis gravitas, et tenuillentia, nisus in leipothymias, mentis, animique dejectio, hinc tristitia morbi non rarus praecursor, et comes, delassatio universalis.

Etsi prodroma haec in longe plurimis casibus morbi evolutionem praeceperint, non desunt tamen exempla in quibus cruentum ventriculi profluviū ex improviso quasi, aut saltem absque praeviis ad epigastrium et hypochondria molestiis aegros invasit (P. FRANK). Ut igitur non semper signa prodroma morbum annunciant.

Postquam haec prodroma nunc breviori nunc longiori tempore, majori vel minori cum vehementia per-

durassent, (ita ut nec post hebdomadas veram morbi diagnosim construere valeas) invadit aegrum horror saepius cum calore fugace alternans, pulsatio cordis fit violens; arteriarum vero ictus frequentes, spastici, extremitates algent, facies collapsa, et livida vultum nimis deturpat; — horrenda nunc sentitur anxietas, mentisque dejectio, sensus externi prosternuntur, sub continuo leipothymiae imminentis sensu. Ascendit nunc per oesophagum vapor quidam calidus, sequitur nausea, et vomitaritio frequens, spastica diaphragmatis constrictio, ac tandem vomitus, nimia virium adstrictione peragendus, sanguinem eliminans. Vomitus hic plerumque absque tussi perficitur, quae tamen et violentior huic accedere, ac observatorem de vera crux scaturigine in errorem inducere valet, si sanguinis pars cum impetu pallato adlisa, et ab hoc rejecta, laryngi illabatur. —

Sanguis vomitu rejectus atro ut plurimum tinctus est colore, in coagulum protinus nititur, vel jam in grumos et placentas concretus evacuatur; in rarioribus attamen casibus et laetiorum praese fert colorem, fluidusque cernitur; (dum nimirum breviori in ventriculo tempore haerebat) mixtus ceteroquin cibis, muco, bile etc. Subinde sanguis ejectus pseudo membranis pertextus, interstitiis, crux coagulato repletis — qui concrementis polyposis similes sunt — occurrit; non raro sanguis jam corruptus et foetidus, materiae fuliginosae, aut atramento analogus excernitur. — Sub ipso insultu aeger iteratis vicibus animi deliquiis corripitur, totoque corpore friget, ac contremiscit; pulsus parvus, intermittens tangitur, superaccedunt in abdomine spasmi, et dolores pungentes in regione Splenis. Copia rejecti crux in raris solum casibus parca est, ita ut paucas solum uncias efficiat, consuetum insignis esse — compluresque libras adaequare solet, et in genere eo major, quo

frequentius vomitus redit; et quo notabiliores praestosunt degenerationes organicae, ex quibus morbus saturit. Auctores complures, uti J. P. FRANK, HENKE, C. J. MAYER adducunt exempla aegrorum nimiam cruentis molem evacuantium. Cel. RICHTER mentionens facit casus, ubi per brevissimum tempus quindecim sanguinis librae rejectae sunt. — Contingit nonnunquam et illud, quod pars cruentis in ventriculum effusi in tubum intestinalem descendat, et insig-nem abdominis tumorem mollem, meteorismum men-tientem, tormina, borborygmos, ac tandem diarrhoeam cruentam inducat; vel sanguine non evacuato periculosa febris asthenicae, cum saburris junctae, symptomata propullent. Subinde eodem tempore tam vomitu quam et alvo ejicitur sanguis; locus sanguinem plorans, ex sola aegri sensatione, magna cum probabilitate determinari potest.

Nunc caput extollunt ominosa signa jacturam sanguinis denotantia, uti sunt: pallor universalis, frigus glaciale, debilitas summa, visio macularum nigrarum, et muscarum ante oculos volitantium, pulsus vix percipiendus, magna in somnum propensio.

Solenne morbo huic est, quod intercedentibus intervallis liberis aegros per Paroxysmos invadat. Apyrexiae raro determinato tempori adstrictae sunt, nunc solum per horas, nunc per dies imo et menses morbo afflictis quietem concedentes Numerus paroxysmorum pro diversa gradus, et reliquorum morbi adjunctorum ratione variat; unico tamen insultu rarissime finitur morbus.

Immediate post exantlatum paroxysmum, symptoma tensionis, oppressionis, atque doloris ad epigastrium remittunt quidem (etsi non ubique), aegri insigne levamen sentiunt; debilitas tamen perstat, quam et leipothymiae concomitantur, si jactura cruentis, praecessit notabilis. — Ad finem vergente tem-

pore apyretico, symptomata paulo antea enumerata sensim iterum exsurgunt, invasio morbi recrudescit, et solita sanguinis ejectio paroxysmum claudit.

Associat semet malo huic quandoque et febris, quae respectu typi nunc continua, nunc intermittens esse svevit.

Sanguinem in haematemesi verosimiliter vasa sanguifera ventriculi, hepatis, intestinorum tenuum, et omenti suppeditant; saepissime vero Splen haemorrhagiae hujus scaturigo est, unde per sic nuncupata vasa brevia ad vetriculum defertur; probant asserti hujus veritatem, tumores, et parectemata visceris dicti, ante ingruentem crux vomitum fere semper observanda, tam visu quam et tactu perceptibilia, probant porro sectiones cadaverum; morbo hoc enecatorum, medio quarum lien morbose adfectum, et diversa ratione a norma abludens detegitur. (RICHTER)

Multum ventilata est adhuc ante pauca lustra inter auctores quaestio, num sanguis in haematemesi excretus, arteriosae aut venosae sit originis? Cum tamen medico practico haec crux non grande ferat emolumentum, therapiam enim minime dirigat, cum haec in utroque casu una eademque, naturae inquam individuali, gradui, causis excitantibus, ceterisque adjunctis adaequata esse debeat, — resolutione quaestionis hujus, tuto carere possumus. Argumenta nihilominus praecipua, quibus suffulti auctores, hanc vel illam defendunt sententiam, in Nosogenia decentrem invenient locum. —

II. SUB FORMA GASTRORRHAGIAE CHRONICAE.

Morbus hac forma comparens, melaena vel morbus niger hippocratis ab auctoribus nuncupatur, cum vero is secundario solum modo oriatur, aliorumque statuum morbosorum, organa cumprimis abdominalia serientium, sequelam constituat, — de repen-

te nunquam invadit aegrum. Praecedunt per menses imo et annos prodroma quaedam, peculiarem inducentia habitum corporis. Facies pallet, vel colorem ictericum, aut terreum quasi induit, emaciatur universum corpus, vires magnopere decrescunt, absque causa nota; aegroti fiunt morosi, iracundi, melancholici, macilenti, res antea gratas fastidiant, oblectamenta fugiunt, peragendis suis officiis inhabiles evadunt; emicant nunc symptomata diversa lesae digestionis et assimilationis: anorexia, soda, ructus, fatus, multa denique inter haematemesis prodroma enumerrata, in epigastrio, et hypochondriis, in inferiore abdominis regione se manifestantia, symptomata morbosa, hic quoque praecurrunt. — Abdominis viscera plerumque tumida tanguntur, sub pressione dolentia; nonnunquam febres intermitentes pertinaces, quartanae cumprimis Melaenae viam struunt.

Exhibita medicameuta sic dicta cardiaca malum non ut mitigarent, quin potius exasperant. Aegroti ventre jejuno ardorem, et contorquentem accusant dolorem, in scrobiculo cordis, assumitis vero cibis ruetibus ac colicis doloribus vexantur. — Molestiae haec de die in diem majora capiunt incrementa, cum incremente anxietate praecordiali, et debilitate universalis, faciei color in luridum convertitur, fit squallidus, oculi lividis cinguntur annullis, vox debilis ac tremula fit, premens in abdomen dolor augetur, pulsus arteriarum fere evanescit, et sub instantis leipo-thymiae sensu, materia nigra, picea quasi, et foetidissima per alvum cumprimis, saepe simul et per vomitum evacuatur.

De origine et natura materiae hujus atrae multum inter auctores litigatum est, diversissimaeque hoc respectu in apricum proferebantur sententiae. Priscis temporibus, dum Medicina nondum ad eum eluctata est perfectionis gradum qua nunc — praeluentibus im-

primis Anatomia Physio — et Pathologia — gaudet, excreta haec pro bile corrupta, vel materia sic dicta atrabiliori habebantur. Extra omnem tamen dubitationis aleam positum est, materiam hanc nihil aliud quam sanguinem corruptum, et diversa ratione mutatum esse; cum sanguis jam diu e regia circulationis via egressus, ac sensim in ventriculi ac intestinorum vasis venosis, in quibus varices produxit, collectus, nunc autem in tubum intestinalem effusus, cum stercoribus in cavis his obviis conglutinatus, una cum his in putredinem rapitur, — hinc derivanda ejus metamorphosis! Unde simul patet astheniam morbo huic fere semper junctam, non adeo ex nimia laticis vitalis profusione, quam potius ex corruptione ejus putrida derivandam esse. — Quantitas cruris tali pacto evacuati saepe ingens est, quin inde semper letales insequantur effectus. — Sic Cel. REIL adfert casum aegri intra nyctemeron viginti sex libras, sanguinis coagulati nigri evacuantis, cuius tamen vita eo non obstante salvata est. —

DIFFERENTIAE AB ALIIS MORBIS.

Haematemesis cum quibusdam haemorrhagiis confundi poterit; cum autem ad recte coordinandam Therapiam has ab se probe distingvere oportet, juvabit morborum formas, quibus hic error induci solet, et characteristicas notas, quibus a se invicem dignosci valeant, paulisper indagare.

Praeceteris autem Haemoptysis, testantibus summae quoque in practicis auctoritatis viris (VOGEL, RICHTER) vomitum cruentum mentire solet. Verum est etenim, in haematemesi sanguinem vomitu, et quidem violento, et sat luculento ejici, quin tussi adsit, in haemoptysi autem cum tussi et screatu; hic coloris lactioris, spumescens, ibi profundioris,

ac *insuper* contentis tractus cibarii remixtus occurrat; nihilominus tamen in haemoptysi quoque, quaedam sanguinis particulae ad oesophagum et ventriculum delabuntur, ubi dein nauseam excitantes, vomitu rejiciuntur; e contra in vomitu cruento, minores cruxris portiones ad laryngem deveniunt, hincque tussi eliminantur. His non obstantibus, tamen sedulus observator ex omnium symptomatum connubio, eorumque combinatione veram morbi diagnosim eruere, maxima cum probabilitate medica poterit. Ante omnia sedes mali respiciatur; in haematemesi dolor magis obtusus, in ab domine sentitur, in haemoptysi vero dolores in thorace percipiuntur, punctorii, fixi, majorisque quam ibi intensitatis; respiratio hic labriosior est quam ibi; denique et constitutio et aetas aegri considerationem merentur, proprius namque corporis habitus et quidem in utroque casu diversus aedit, nec non experientia evictum habemus: tussim sanguineam subjecta potissimum juniora invadere, vomitum cruentum autem a etate proiectioribus ut plurimum infestum esse.

Facilius dignoscitur vomitus cruentus ab epistaxi, et a stomachorrhagia, in plurimis namque casibus exploratio loci sanguinem fundentis visus oper succedit. Ab haemorrhoidibus, propria morbi hujus symptomata ad anum imprimis se manifestantia, et defectus vomitus, haematemesim distinguunt. — Confundi adhuc posset cum vomitu cruento neonatorum, qui sanguini ex uberibus nutricis exsucto suam debet originem; investigatio papillae, et lactis rem facile dilucitabit. —

Nec fraudulenta ars deest, qua homines, per devoratum sanguinem animalium, aut majori copia ingestos fructus nonnullos rubros, vel et deglutiendo pharmaca quaedam rubra, ut martilia, postmodum vero nauseam variis modis excitando, et materiam

sanguini primo obtutu analogam ejiciendo, morbum simulare, ac medicum impio sat conamine decipere satagunt. — Has tamen fraudes prudens ac circumspectus observator, habito ad omnes circumstantias merito respectu facili deteget negotio.

SECTIO CADAVERUM.

Multum ad eruendam morbi indolem, sedula cadaverum, morbo hoc extinctorum, investigatio confert. — In plurimis qui cruento ventriculi aut intestinorum profluvio laboravere, insignia viscerum abdominalium vitia organica deprehenduntur, vasa vero majora, ut vena cava et trunci venae portarum sanguine vacua observantur. In specie vero: ventriculus atro sanguine impactus, saepe varices, aut saltem floccos nigros offert (MORGAGNI) qui compressi materiam atramentaceam fundunt; subinde interna ejus tunica fusca aut nigricans, non raro etiam inflammata inventa est.

Lien volumen saepe nimis imminutum, contractum durum, et concretionibus corneis quasi, instrutum, saepe vero voluminis insigne augmentum, mas- samque solito molliorem praesefert. (RICHTER).

Hepar nimiae ut plurimum molis invenitur, parenchyma ejus cinereum offert colorem, et hinc inde tubercula pro parte jam suppurantia. (P. FRANK).

Vasa brevia, venae meseraicae, et mesocolicae insigniter dilatata, et in varices grandes extensa, atroque crurore impacta cernuntur; insuper dilatata haec vasa tam in ventriculi quam et in intestinorum cavum hiant (P. FRANK).

Intestina distenta materiam bruneam piceam quasi, parietibus firmiter adhaerentem offerunt. — MORGAGNI tunicam duodeni villosam maculis atris obsessam reperit. Subinde interna eorum superficies ru-

berrima , et injectis quasi vasculis nitens invenitur. — Abdominis denique cavum liquidum stagnans , flavicantis coloris , pro parte putrescens effundit. — Notandum attamen saepe cadavera morbo hoc extinxitorum , nullas plane metamorphoses organicas , nec ullum laesione viscerum manifestare indicium ! —

AETIOLOGIA.

Dispositio. Constitutio sic dicta atrabilaria momentum constituit maxime disponens ; cuius signa sunt : color faciei pallidus aut luridus , adspectus cachecticus , cutis flaccida , molestiae organorum digestionis diversae : dyspepsia , nausea , flatulentia , alvus morosa ; pertinent huc viri hypochondriaci , feminae hystericae , ad tristitiam et morositatem perquam proni , vitam sedentariam , curis et sollicitudinibus plenam ducentes , qui cubilibus angustis detenti , necessario corporis motu destituuntur.

Non secus et individua macilenta , debilia , statura procerae , temperamenti sanguinei , irritabilia , ad iram procliva , imprimis sexus sequioris , eminenti in hunc morbum gaudent dispositione . Ita et homines juvenes plethoricos , robustos , pubertati proximos , sic et illos qui membro quodam spoliati sunt , saepius malo hoc coripi experientia testatur . Maximam tamen aegrorum partem profluvium hocce cruentum , inter trigesimum et quinquagesimum aetatis annum invadit .

Saepius molestat haemorrhoidarios , feminas cataractariorum anomalia laborantes , individua ad aneurysma disposita , organicis viscerum abdominalium , vitiis lienis cumprimis , et hepatis detenta . Momenta disponentia constituant porro : diaeteticus fermentatorum ac spirituosorum potuum usus , majori dosi concessus , aliaeque ventriculum constanter irritantes potentiae , abusus condimentorum ; nec non opicia quaes-

dam situm corporis pronum, anteriora versus inclinatum deposita.

In genere vero omnes noxae circulum sanguinis in abdome retardare valentes, momentum vomitus cruenti disponens constituant. — Comparet insuper modo symptomatico in Ictero, Hydrope, post febres intermittentes rebelles, quartanas imprimis, hepatis et lienis obstructiones inducentes. — Demum adhuc frequenter corripiuntur malo hoc qui e pulis, baccho, et veneri nimium indulgent, arthritici, bibones, et scortatores.

Quo luculentior autem adest dispositio, eo mitiores sufficient causae occasione, ad evolutionem morbi. Absente vero hac dispositione, haematemesis vix unquam observatur, et haec videtur raritatis ejus esse ratio.

Causae excitantes — diversissimae, et copiosissimae provocando huic morbo pares sunt, qui in genere eo lubentius prorumpit, quo eminentior adest dispositio.

Subinde potentiae systema haematophorum vehementius ex stimulantes, provocant vomitum cruentum, qui tunc inflammatorius dicitur, casus tamen hic experientia teste ad rarissimos pertinet. Ad horum tribum referri merentur: potulenta stimulantia, calefacentia, immoderate usurpata, ut vinum, crematum, potus coffeeae ect purgantia drastica, emmenagoga; animi pathemata excitantia, nimius corporis motus, potus gelidus aestuante corpore assumptus (STARK).

Saepius morbi alii imprimis cutanei evanidi, vel et profluvia habitualia suppressa vomitui cruento ansam praebent, qui tunc metastaticus merito nuncupabitur. Feminae alvo dura laborantes imprimis si tempore imminentium mensium ira vel terrorē commoveantur, vel inferioribus corporis

partibus refrigerium admittant nimis facile sanguinis vomitu corripiuntur. — Sed quin causa quaedam occasionalis praegrediatur, evolvitur hic morbus non raro in puellis pubertatis periodo proximis, qui dein procedentibus jam normali via mensibus plerumque disparet, vel etiam vices horum longiori tempore, quin imo durante integra vita supplet, et absque conspicuo sanitatis detrimento, ut casus nonnulli rarissimi testantur. — Ita et gravidae, si sanguine abundant, ob uterum mole sua vasa abdominalia comprehendent, haematemesi subinde tentantur; simili ratione parturientes quoque, sub violento ac protracto partu interdum sanguinem cum impetu vomendo rejiciunt. — Imo et tenelli neonati aliquando sub doloribus colicis vehementioribus, purum revomunt sanguinem; quod phaenomenon in infantibus tempore dentitionis sat frequenter observatur. —

Ad producendam Malaenam resolutio sanguinis, et nisus in corruptionem haud raro ansam praebet, quare non infrequens constituit seorsuti symptoma. Subinde abusum mercurialium, opiatorum, prout et remediorum acido hydrocyanico efficacium — ut aquae laurocerasi etc. excipit. —

Denique recensenda veniunt adhuc hic potentiae nocivae, quae partim chemice, partim mechanice irritando, parietes ventriculi ac intestinorum adficiunt, uti: substantiae acres, venena corrosiva, deglutitiae aciculae aut particulae vitri. Cel. Fr. HOFFMANN deplorandum narrat casum Feminae de stemmate natae, quae scopo revocandi, a tribus mensibus inde silentis fluxus catamenialis, forte quoddam emmenagogum, ab Agyrta ei porrectum ingessit, indeque tam vehementi correpta est haematemesi, ut non obstante solertissima ab ipso Hoffmanno adornata cura, intra paucos dies, exspiraret. — Sic J. P. FRANK adfert casum vo-

mitus cruenti a deglutito ossiculo vervecino inducti.

Nec desunt exempla profluvii hujus per hirudines cum aqua paludum aut stagnorum in stomachum delatas, ibique morsu sanguinem elicientes, excitati. Pari ratione vulnus ventriculo inflictum, vel et quaevis violentia externa, vel et ulcera ventriculi, hepatis, lienis aut intestinorum atque scirrhosus pylori tumor, sanguinis fluxus occasionem praebent. Adnotare tandem conveniet, quemlibet protractum et intensiorem vomitum tandem in cruentum abire posse.

Nec defuerit, qui peculiarem aeris atmospheric constitutionem qua excitantem morbi hujus causam inculparunt, haematemesim epidemice regnantem describentes (HOFFMANN).

De proxima vomitus cruenti causa quam maxime disputant, atque disconveniunt Auctores; multaplices, diversissimae, ac saepe sibi ex integro oppositae de promtae sunt hoc respectu opiniones. — Venrandus salutaris artis fundator Hippocrates, haematemesim in orbum atrabilarium, materiam vero nigram evacuatam, bilem inspissatam, et degeneratam esse enunciavit. Eandem amplexus est sententiam Morgagni quoque, adducens observationes quasdam, demonstrantes cystidem felleam eadem materia grumosa, atra fuisse repletam, quae ab aegris durante morbo excernebatur. Interim verosimile magis est, detectam illam in vesicula fellea materiam nigram non bilem, sed potius sanguinem fuisse, ex hepate ortum ducentem; sed nec conceptu facile esset, tantam bilis atrae molem produci posse, quantum materiae hujus, in vehementiori morbi gradu, unico aut iteratis sub insultibus ejicitur. Imo in casibus nonnullis, unus idemque aeger, eodem tempore, tam sanguinem purum, quam et dictam materiam nigram evacuare observabatur (TISSOT). —

Marcus vomitum cruentum pro symptome splenitidis habet, sub qua majore ad Lienem humorum congestione locum habente, per vasa brevia sanguis in ventriculum fertur, unde postmodum emesis cruenta oritur. Interim saepe adest inflammatio splenis quin haematemesis adsit, et e contra vomitu cruento praesente, nulla splenitidis detegi possunt indicia. Et licet nonnunquam contingat sanguinem e vasis brevibus in ventriculum effundi, id tamen non semper locum habet, cum hic interdum e vasis coronariis ventriculi et mesenterii scaturiat.

Alii ob morbum hunc hepar obstructum inculpant, asserentes ob causam hanc sanguinem in veneae portarum truncis accumulari, unde impeditus ejus in vasis ventriculi sanguiferis circuitus, et in venas ex arteriis transitus, explicatum suum nanciscuntur.—

Broussais haematemesim semper symptoma esse Gastritidis asserit; fideles interim ad lectos aegrorum observationes evincunt, saepe nullam plane adesse inflammationem, sed potius statum adynamicum, jam erethisticum, jam torpidum.

Omnis causa, liberum sanguinis per arteriam hepaticam, aut lienalem circulum, impediens, viscerum horum inflammationem, indurationem, obstructionem, hincque necessario fortiorum sanguinis in vasa ventriculi impetum, ejusque in ventriculi cavum effusionem, inducere valens, — haematemesis producenda par est; patet hinc eam nunc ex liene, nunc ex hepate, vel etiam ex pancreate male adfectis, evolvi posse, — quae tamen omnia non nisi remotis ejus causis accensenda sunt.

Complures descripti sunt ab auctoribus casus vomitus cruenti, ab organicis hepatis, lienis, et pancreatis vitiis venientis, quas hic adducere limites opusculi vetant, qui uberiorem respectu hoc notionem adquirere cupit, eum ad opera virorum clarissimorum

PORTAL, **HOFFMANN**, **LATOUE**, aliorumque doctissimorum de Melaena scriptorum, amice invio.

Jam quod modos adtinet, quibus haematemesis oritur, hi ut plurimum a causarum occasionalium indeole dependent. Sic subinde laesiones continui (*rhexis, diabrosis*) per momenta occasionalia inducuntur. Alias *secretio cruenta* locum habet, quae monente P. Frank tunc contingit, dum suppressae cūjusdam haemorrhagiae vices gerit, atque in individuis plethoricis bene nutritis stimulantes simul agant potentiae, tractum intestinorum cūprimis ferientes. Frequentissime vero inducitur haematemesis per *Anastomosim*, dum nimirum eam turbatus in hepatis, lienis, nonnunquam et pancreatis vasa, sanguinis ingressus, vel profluvia alia cruenta suppressa — excitant. Tandem et *asthenia tam erethistica* quam et *paralytica* cruentum hocce profluvium generare svevit, quod imprimis de chronica ejus varietate valet, dum nimirum *scorbuto*, *haemorrheae petechiali*, aut *typho putrido* accedit, aut viscerum abdominalium indurationibus saepe scirrhosis, inducitur, quibus sit ut impedito sanguinis ad vasa sua accessu, horum varices et paralyses subsequantur.

De origine sanguinis in vomitu cruento excreti, arteriosa aut venosa pauca hic adnectam. Illi qui arteriosam sanguinis indolem defendunt, sequentibus utuntur argumentis.

Haemorrhagiae abdominali, imprimis ex hepatē aut splenelocum habenti, status quidam horum organorum abnormis subest; organon morbose affectum non eam sanguinis portionem ex arteria coeliaca recipere valet, quam quae illi normaliter convenit, hic igitur majori cum impetu in arterias coronarias ventriculi ruit, ex his dein in ventriculum effundendus; arteriae dictae insigniter dilatatae in cadaveribus re-

pertae sunt ; porro : morbi hepatis sanguinis refluxum per venam portarum impediunt , quae hoc pacto majori sanguinis copia irrigata , plus crux ex vasis sanguiferis ventriculi et mesenterii recipere nequit , — ex his adeoque sanguis in ventriculum modo jam unico , jam et pluribus effunditur ; demum : sanguis arteriosus ventriculi et intestinalium cavis tempore longiori retentus , atriorem colorem , majoremque in corruptionem nisum nanciscitur — (PORTAL et REIL).

Illi qui originem sanguinis in haematemesi venosam defendunt , sequentia adducunt : Lien post mortem plerumque abnormis , scirrhosus , mole imminutus inventur ; venae coronariae ventriculi et lienis varicositates insignes monstrant , — hinc circulus sanguinis per venas portarum et lienis retardatur ; denique pars maxima crux ejus Carbonio et Hydrogenio scatet , — hinc ater ejus color , — hinc in resolutionem nisus . Ex omnibus his simul sumtis elucet , cur haematemesis fere constanter cum morboso viscerum abdominalium statu , et fluxus haemorrhoidalis turbis copulata incedat . — (SPRENGEL FRANK).

Divergentes has auctorum celeberrimorum opiniones reconciliare , res ardua minime erit , perpendenti : ex solo sanguinis colore nullum cum certitudine ferri judicium , cum et sanguis arteriosus , ut supra dictum , longiori mora obscuriori tingatur colore . Arteriosam crux originem supponere cogimur casibus in illis , in quibus morbus celeriter et absque prodromis erumpit , exiguum enim temporis , inter actionem momenti occasionalis , et morbi evolutionem intercurrens spatium non sufficit , ut varicositates venarum ad eum usque evolvi possint gradum , ut hae sanguinem fundere cogantur ; his sub rerum circumstantiis profluvium cruentum ut plurimum anastomoseos , nonnunquam et secretionis cruentae in ultimis arteriarum ramulis obtinentis , effectum constituit , quod etiam observati-

ones Hunteri, atque cadaverum extispicia, medio quarum, ventriculi et tubi intestinalis inflammationes detectae sunt, — comprobant. — Venosam vero sanguinis originem negare non possumus, dum haematemesis morbosae viscerum abdominalium hepatis cum primis et lienis affectiones, longiori praecessere tempore, morbusque absque signis quae horum organorum phlogosim aut vasorum reactionem adactam indicarent, sed potius cum symptomatibus infarctus, indurations, aut scirrhositates eorum evincentibus sensim sensimque evolvitur quibus efficitur ut turbando normalem sanguinis per venam portarum circulum, hic in vasis dictis accumuletur, stagnet, — venarum extensiones, tandem et rupturae inducantur. Huc merito referi merentur observationes, complurium virorum clarissimorum, qui vasa brevia, venas coronarias ventriculi, et venas lienales, extensas, atroque sanguine impactas, in cadaveribus haematomesi peremtorum invenere.

TERMINATIONES.

Prouti quilibet morbus ita haematemesis quoque triplicem nanciscitur exitum, transit nimirum vel in sanitatem, vel in alios morbos, vel morte terminatur. — Optatissimus morbi exitus sanitas utpote locum habebit, si salutari arti concessum fuerit occasioales perfecte eradicare et amovere causas, dispositionem insuper corrigere morbosam; si itaque obstrukiones viscerum abdominalium solvantur, indurations emollientur, aut suppressae aliae haemorrhagiae revacentur, morbus hinc ortus tollitur quidem, sed convalescentiae stadium lentissimo solum procedit gressu, noxiaeque sequelae, in reproductione cumprimis se manifestantes, diu remanere solent. — Morbis, vomitum cruentum excipere solitis, cachexiae plerum-

que adnumerantur: hydrops, tympanites, inflammatio-nes lentae, suppuratio, tabes, febris hectica, ventri-culi induratio etc. quos eo minus sanare valemus, eum status morbosi haematemesis inducentes, horum evolutioni, rapidiorique incremento faveant potius quam adversentur.

Funestissimo morbi cuiusve exitu, morte inquam finitur vomitus cruentus, vel per nimiam laticis vita-lis jacturam, quae sub continuis animi deliquiis, aut convulsionibus, sub pulsu arteriarum vix percipiendo, celerrimo, et totius corporis algore, — organismi vi-ribus ad imum dehiscentibus, subsequitur, vel per de-generationem febris comitantis typhosam, et sanguinis resolutionem inducitur.

P R A E S A G I U M .

Non omnia individua haematemesi affecta, eodem exponuntur periculo, sed hoc potius pro diversitate causarum, et constitutionis individualis variat. Subinde morbum sat mitem constituit, qui decursum brevissi-mum, characterem energicum, subinflammatorium ex-hibet, et vel sponte, vel convenienti therapiae facile cedit; in rarioribus quibusdam casibus haemorrhagia haec salutaris, effectus benignae naturae medicatrixis, quae conamine hoc status alios morbosos, quibus orga-nismus obnoxius est suffere nititur; tali ratione non-nunquam plethora imminuitur, excedens irritabilitas deprimitur; fatendum interim salutiferam talem haematemesim, rarissime solum occurrere. — In plurimis certo casibus morbum gravem, periculo plenum consti-tuit vomitus cruentus, prognosim adeoque nonnisi in-faustam admittit; quin tamen cum aevi antiqui medi-cis haemorrhagiam hanc necessario letalem esse cre-damus. Non desunt reapse exempla aegrorum, sub prima statim invasione, a nimia sanguinis jactura ex-

stinctorum; casibus in aliis, ubi invasiones saepius recurrunt, partim amissio humoris vitalis, partim diurna functionum organorum digestionis subversio, aegrotos sensim sensimque exhaustit, qui dein in cachexias arti omni rebelles: tabem, hydropem etc. incidunt. — Respectu copiae sanguinis excreti periculum eo magis augetur, quo major illius jactura praecedat; momentum hoc, in connubio eum impetu et celeritate quo sanguis prosilit praeeunte J. P. FRANK prognosim multo certius dirigere valet, quam qualitas cruoris, colore, sapore, odore, et fors adminiculis chemicis, diversitatem exhibens.

Aetas proiectior teste experientia majora ab hoc morbo experitur discrimina, prae juvenili, sexus virilis, prae femineo. Tempus vernum praesagium faustius concedit quam autumnale. — Quo autem longiori tempore prodroma, eruptioni morbi praecessere, eo tristior est prognosis, hinc in melaena pejor quam in haematemesi stricte sic dicta. Infaustum porro exitum nanciscitur morbus, cui notabiles viscerum abdominis desorganisationes subsunt, etsi nonnunquam haematemesis tam haec, quam et alii generis mala chronicas: icterum, febres intermittentes, hypochondriasm, hysteriasim sufferat. — Gastrorrhagiae infantum, dentitionis operi supervenientes, quaeve ut plurimum nimiam sensibilitatem, et irritabilitatem pro fonte agnoscent, ceteris minus periculosae censentur. — Febris vomitu cruento accedens pericula ejus plerumque auget; „Qui sanguinem vomunt, si quidem sine febre, salutare, si vero cum febre, malum“ sunt verba Hippocratis (sect. 7. aph. 9). Praecipue timenda degeneratio ejus in characterem nervosum aut putridum. Febris deapsens, lenta, melaenam concomitans, internarum partium exulcerationem designat, plerumque morte finienda. — In genere autem morbus ob insignem in recidiwas nisum, quo facile in habitualem transit, ad

periculosos referi debet. Cel. Hofmannus dicit: „Periculum quod morbus inducit non in omib[us] idem, id vero certum, vix ullam haemorrhagiam periculosissimum esse hac.“ —

C U R A.

Differt medendi ratio respectu temporis quo suscipitur, alia namque sub paroxysmo, et rursus alia tempore intermissionis salutaris erit.

a) Cura sub paroxysmo. Hanc coordinans medicus, in omni casu individuali, ante omnia in id convertat attentionem ut aegro summam corporis et animi conciliat quietem, hoc scopo vestimenta corpus arctius constringentia solvere, aegrotumque in lectum, levioribus solum stragulis instructum deportari curet, praecipiens una, ut is situm constanter horizontalem observet, neve hunc sub qualicunque deserat praetextu, quare ad vacuandam alvum aut vesicam suppositoriis utendum, nam motu corporis, animi deliquium inducit, saepe letale; spectatores non necessarii amovendi, sermocinatio omnis aegro inhibenda, insuper temperatura moderate frigida procuranda erit. His coordinatis conetur medicus partim ex praesentibus symptomatibus, partim ex adstantium narratione, naturam haematemesis individualē definire; si detexerit causas excitantes, vim suam noxiam adhuc continuo exercere, has protinus removere, vel aegrum illarum actioni subducere conetur. Interim non est semper in medentis potestate has noxas removere vel annihilare, in his itaque casibus omne ejus studium ad mitigandos effectus earum deleterios dirigendum erit.

Si itaque res acres aut causticae in ventriculum delatae vomitum cruentum provocavere, hae diluendae, ac involvendae sunt, quo scopo mucilaginosa: solutio gummi arabici, decoctum salep, emulsiones oleosae,

iae dulce , juscula pingvia inserviunt . — Venena deglu-
tita antidotis , quae haec destruere , resolvere , obtun-
dere , parietesque ventriculi ac intestinalium a vi eorum
infensa tueri , valent , — indigent . Acidum primarum
viarum absorbentibus , uti Magnesia tollitur . — Ubi
morbus per hirudines in stomachum delatas excitatus
fuit , ibi solutio muriatis natri aquosa , aut succo citri
impregnata , tardius autem medicina emetica levamen
adferunt . Commendantur in hunc scopum etiam olea
pingvia blanda , quae tamen suministrant ex postulant cir-
cumspictionem , ut nimis ab omni rancore libera sint ,
quae sensilem ventriculum potius extimularent .

Si saburra adsit biliosa , ex pathognomonicis po-
lycholiae symptomatibus , nec non ex praegressu cau-
sae occasionalis , normalem bilis se- et excretionem
turbare valentis , cognoscenda , favente imprimis mor-
bis biliosis constitutione epidemia , moderatus vomi-
tus , blandioribus remediis procurandus potius , quam
praesens suppressendum est . Sub his rerum circumstan-
tiis aliquot cochlearia succi citri recentis propinata ,
acredinem bilis parumper corrigere valent , sedaturque
sic aliquantum et vomitus cruentus , quo ex integro
silente , et compositis majoribus turbis , e re erit , vomi-
tum modo leniori , maxima semper cum cautela cie-
re . Cel . RICHTER plura adducit exempla haematemesos
emetico sanatae . An non juvaret hic consilium Dris
GIRARD sequi ? qui indicatum in haematemesi vomitum
solum titillatione uvulae , aut potu tepido aquoso pro-
vocandam esse prae tendit (Girard , dissertation sur l'
hematemese . 1815.) Nemo autem non perspiciet in or-
dinando remedio emetico , medicum quam maxime cau-
tum esse debere ; certa ante omnia et firma requiritur
diagnosis , secus emesis salutis desideratae loco , facile
lethaeum ad proximare vel et directe inducere valet
somnum . Quodsi gastrorrhagiae mensium aut haemor-
rhoidales fluxus suppressi subsint , tunc omnes medici

conatus his restituendis impendantur, quod talibus perficere intendat adminiculis, quae sanguinis in abdomine congestionibus, et vomitu cruento minime repugnant. Victus tenuis vegetabilis, omnium calefacentium et stimulantium potentiarum severa fuga, hirudines jam plures, jam pauciores ad pudendorum labia majora, internam femorum faciem, aut ani orificium, perineum applicandae, cucurbitae regioni sacrali, aut femorali admovendae, partium harum fomentationes calidae, balnea vaporis, pediluvia tepida, irritantia, clysteres emollientes, hic suum invenient locum. — Gastrorrhagia a pressione uteri gravi orta, situm depositum peculiarem, in quo haec pressio aut evanescit, aut ad minus mitigatur; quae autem partui difficili supervenit, prompta foetus per artis adminicula ex utero exclusione, optime et citissime tollitur. — Et taliter remotione causarum occasionalium, aut solum moderatione noxiorum effectuum ab illis dependentium primae et gravissimae satisfiet Therapiae rationalis indicationi.

Remotis quantum licet causis occasionalibus, vel his ita constitutis ut sat cito removeri nequeant (*infarctus, indurationes*), indicatio curae a statu dynamico organismi totius imprimis viscerum abdominalium, in specie vasorum sanguiferorum ventriculi, ac tubi intestinalis desumitur. Praesente charactere morbi energico, vel plane inflammatione quadam topica, constitutione aegri plethorica, causarum noxiarum indole irritante, methodus antiphlogistica, ipsa sanguinis depletio adversus haematemesis proficia erit; sufficit ut plurimum depletio sanguinis localis, ope hirudinum regioni umbilicali epi- aut hypogastri- cae applicatarum, nro 6—24, aut cucurbitarum cruentarum ope producta. Nonnullis in casibus ipsa venae incisio desideratur; meminisse interim oportet, haemorrhagias inter, haematemesis rarissime sanguinis

missione indigere, cum phlebotomia debilitas sit plurimum praesens, celeri augeatur passu, morbi discrimina nimium augendo. Circumspectio adeoque et cautela in administratione heroici hujus remediis nunquam negligenda.

Praeter sanguinis evacuationem, remedia mucilaginosa, ut althea, salep, verbascum emulsa oleosa utiliter adhibentur. Laudatur sub his rerum adjunctis serum lactis tamarindinatum, virtute antiphlogistica-purgante; sales antiphlogistici licet mitissimi minus conducunt, cum in immediatum cum parte affecta contactum veniendo, locales facile noxiis exerant effectus; abstinentiam eadem de causa erit ab acidis tam vegetabilibus, tam, et eo magis, a mineralibus. Clysmata emollientia magnum hic adferre solent levamen, quibus et sales antiphlogistici addi possunt, partim ut alvi tollatur constipatio, partim vero ut sanguis in intestinorum tractum dehiscens quo certius eliminetur.

Haematemesis, frequenter spasticae esse servit in dolis, tunc adeoque sic dicta antispasmodica indicabuntur pharmaca. Hic tamen pariter plus ab externis quam ab internis exspectandum erit remediis, cum haec in partes morbo affectas immediatum, facileque noxiis exerant effectum, atque vomitum saepe potius promoveant, quam vero mitigent.

Ordinanda erunt scopo hoc pediluvia cum cineribus, sale communi, aut farina seminum sinapis, semicupia vel et balnea universalia tepida. Revellentibus conamur irritationem ab internis ad externas derivare partes, hinc vesicantium, sinapismorum, cucurbitarum siccarum applicationi tempus conceditur, locusque; his adnectantur: cataplasmata emollientia, fomentationes ex infusis aromaticis v. g. florum chamomillae, herbae absinthii, rutae, quibus ad obtundendam sensibilitatem excedentem et plantae narcoticae: hyoscyamus, cicuta addi possunt, scrobiculo cordis applicandae. Laudantur

insuper inunctiones cum oleis aethereis, camphora, et opio; frictiones abdominis a quibusdam commendatae, advertente Pisone plus damni quam emolumenti adferunt, emesi cruenta facillime revocata. — Ad usus internos mitiora solum, eaque parvis duntaxat dosibus porrecta convenientiunt pharmaca, evitando cuncta vasorum reactionem magis incitare valentia, ut vinosa, spirituosa, omniaque fortiora stimulantia. Exiguae aquae cinnamomi, menthae piperitae, florum tiliae, cerasorum nigrorum dilutae doses optime feruntur. Infusum digitalis purpureae concentratum a WARBURG laudatum (Warb. dissert. de haematemesi. Frank, a. V. 1803) homoeopathicā solum propinare auderem dosi. — In casibus solum desperatis scopo mitigandi in emesim nisus ad narcotica ut extractum hyoscyami, lactucae sativae, et his haud sufficientibus ad ipsum opium confugendum est; cum debilitas vix non semper praesens, his in summum aegri detrimentum augmentum capiat, hinc patet medicamenta haec parcissima solum, eaque cautiſſima subministranda esse manu. Verum cum summe excruciantes abdominis spasmi, et intolerabiles anxieties, mechanica demum irritatio, quae a sanguinis coagulati grumis in ventriculo aut intestinis haerentibus excitatur — soſienda sunt, narcoticis penitus carere vix possumus. Cum vero opium sanguinis coagulati in tubo intestinali retentionem cum alvo constipata inducat, clysteres simul aperientes cum usu ejus copulare opportunum erit.

In longe plurimis vero casibus haematemesis profluviūm sistit passivum, ex causis debilitantibus, atonia vasorum et humorum resolutione ortum capiens: in illis adeoque, prout et in casu nimiae sanguinis cum impetu prosilientis jacturae, solertissimus talium remediorum usus desideratur, quae languentem vasorum actionem incitare, profluviūm vehemens siſtere, viresque vitales labefactatas, resuscitare et restau-

rare valent. Acida mineralia diluta, praeprimis acidum sulfurium, aqua frigida ad gratum acorem temperatum, et praeparata ejus, scopo hoc quam maxime laudantur. Professor Bambergensis MARCUS insignem liquoris acidi Halleri virtutem admirans, eum pro remedio specifico declarat, tam contra haematemesim quam et contra splenitidem; laudes interim hasce merito maiores esse, facili quisque perspiciet negotio. Praeter acida maximam famam aqua frigida sibi vindicat, cuius eximias virtutes multiplex confirmavit experientia. Aqua frigida simplici, dosibus minoribus ast saepius repetitis, hausta, in connubio cum maxima corporis animique quiete — haematemesis a debilitate erethistica ortum ducens, saepe saepius profligatur. Ad virtutem ejus exaltandam bene acetum quoddam gratum, vel succus citri, vel sal essentiale tartari, vel acidum quoddam minerale dosi exigua, additur, ad gratam et exoptatam conciliandam aciditatem. P. FRANK hoc scopo succum expressum puniceae granati svadet. —

Ubi profusa nimis haemorrhagia debilitatem induxit magnam cum torpore ad paralysim accidente copulatam, ibi stimulantia et adstringentia quam maxime indicantur pharmaca. Alumen in aqua vel sero lactis solutum (BANG); decoctum corticis peruviani; tinctura cinnamomi; extractum myrrhae aquosum, vinum genorosum, radices colombae et ratanhiae votis satisfaciunt. Notari meretur complurium practicorum praeceptum validioribus stipticis, adstringentibus, et vitriolaceis pharmacis, cautissime mercandum, semperque memoria retinendum esse, corpora haec, cum adfectis organis in immediatum devenire contactum; effectus hinc eorum topicus severe mensurandus, et quam primum aegri post usum illorum, ventriculi dolorem, nauseam, aut vomiturationem experiantur, ab iis mox abstinentum erit.

Anglorum medicus ADAIR, commendat oleum de-
stillatum therebinthinae, cuius X guttae cum vitello
ovi subactae, et in fluido quodam grato suspensae ae-
gro pro dosi porrigitur; meminisse oportet remedium
hoc vehementer stimulans, minime in omni haemate-
meseos casu prouti auctor dictus praetendit, conveni-
re, verum solum dum illi asthenia torpida subest. —

Animi deliquia durante paroxysmo ad symptomata
consueta spectant, ne quis igitur terrore percussus
fortiora adhibeat stimulantia, cum his una cum animi
praesentia simul et profluvium revocari soleat; mitio-
ri adeoque solum excitandus est aeger modo, quo sco-
po odoramenta moderate excitantia saepe sufficient,
ut odor aceti boni, fortis, cochleariae armoraciae ra-
sae, aetheris acetici; in majori debilitatis gradu, ubi
extremitates algent, hae pannis calidis saepius reno-
vandis involvantur, fomenta insuper ex aceto aut vino
calido, aceto aromatico vel camphorato in usum tra-
hantur. — Sub ipso vomitu cruento comparens leipo-
thymia maximam medentis exposcit attentionem, qui
id praecipue impedire conetur, ne sanguis in oris aut
faucium cavo in polyposam concrescat massam, et sic
aeri atmosphaericо viam ad pulmones preecludat, ta-
lique pacto suffocationem inducat. — J. P. FRANK nar-
rat casum hominis sub vomitu cruento sibimet ipsi re-
licti, qui postquam sanguinem aternum grumosum
magna rejecisset copia, animi deliquio correptus cor-
ruit; ubi vero ab aliis inventus est, sub adspectu ca-
daveroso, vix ullum vitae signum manifestavit; — ca-
vum oris frustis sanguinis coagulati impactum erat; a
quibus liberatus, et convenienter dein tractatus —
pristinae rursus restitutus est sanitati. —

b) Cura tempore intermissionis. Quan-
diu adhuc motus spastici in abdomen adsunt, extremita-
tes algent, et facies, uti et reliquum corpus pallida cer-
nitur, justus semper ad est metus paroxysmi recu-

descentis, ad quem evitandum plurimum confert summa corporis et animi quies; ne igitur ventriculus multum molestetur, licet aeger appetitu gaudeat, nonnisi juscula tenuia, exiguaque concedi debent quantitate.— Cessante ad minus pro tempore vomitu cruento tertias satisfaciendum erit curae indicatione, quae noxias morbi sequelas amovere praecipit. Ante omnia sanguis in tubo intestinali accumulatus evacuandus est, qui secus cito putrescit. et mala posthuma ipso morbo periculosiora, enteralgiam, febrim gastricam, ipsamque enteritidem inducere valet. Exhibenda erit hoc scopo medicina alvum leniter solvens, ut sic sanguis in tubo cibario haerens, modo sat miti evacuetur. Cavendum tamen a purgantibus fortioribus et salibus neutrīs. Cel. HOFFMANNUS, qui longiori tempore ad quaestionem: quae potentiae nocivae superato vomitu cruento fugiendae sint? commoratur sequentia dicit; Superato vomitu cruento abstinendum postea omni cura ab emeticis, nec non ab aloëticis, quibus sanguinis orgasmus, ejusdem inordinatus progressus, et ad stomachum confluxus inducitur, ac sie facillime malum revocatur.

Optime aperitur alvus elysmatibus emollientibus, ex sero lactis, aqua et melle aut butyro confectis, aut ex decocto surfurum cum oleo blando. Si vero haec effectum desideratum non producant, vel eorum applicatio aegro nimium molesta esset, internam blande purgantem medicinam porrigere necesse erit. Manna, cassia fistula, pulpa tamarindorum, pulpa prunorum, cum cremore tartari, carbonas magnesiae, electuarium lenitivum, scopo et indicationi satisfacent, ubi vero majorem tubi intestinalis torporem supponere licet tinctura rhei aquosa conveniet; hisque purgantibus eousque insistat medicus oportet, donec color foecum naturalis revertatur, et aeger se allevatum sentiat.

Evacuato tubo intestinali, saepe nulla ulterius requiruntur pharmaca, solum congruum vitae regimen curam perficere valet. Victus quidquam lautior, sed digestu facilis concedendus, cibi autem acerbi, flatulentias causantes, vel fortiores digestionis vires expostulantes quam solertissime vitandi erunt. —

Insuper vitet aeger omne refrigerium, vehementiores animi affectus, et majores corporis motus; solum post longiorem ab exantlato paroxysmo moram. coelo sereno, aëre puro et sicco, exitus in apicum concedendus, qui his sub rerum adjunctis multum ad recuperandas organismi vires conferre valet. — Non raro autem post haemorrhagias profusas remanet insignis debilitas, ita ut aeger vix artus movendo par sit, post omnem vel mediocrem motum experitur nauseam, vertiginem, nisum in animi deliquium, — ad hanc sufferrandam aér purus. victus nutriens, parcissime stimulans vina bona, lotiones imprimis extremitatum cum aceto aromatico, aut spiritu vini camphorato; ex pharmaceuticalibus: stimulantia grata cum leniter roborantibus copulata, extractum fumariae, taraxaci, graminis, in vehiculo grate et mitius aromatico, iufusum tenue ligni quassiae, tinctura rhei, extractum corticis chinæ frigide paratum, aether aceticus, tardius tinctura nervino-tonica Bestuschefii, aliaque martialia incomplementum curae — requiruntur.

His felici cum successu perfectis unae adhuc satisfaciendum erit indicationi, quae in eo consistit ut ulterior paroxysmi reversio impediatur, ad quem finem obtinendum diversae quae haematemesis produxere mutationes morbosae, ad quas durante paroxysmo, ob magis subversans periculum minor haberi potuit respectus, — quo citius tollantur, his namque porro quoque perdurantibus, citius aut tardius reverteretur morbi exantlata scena. — Si itaque vomitus cruentus symptoma constituat, mensium aut haemor-

rhoidum suppressorum, fluxus hi idoneis ac supra expositis ad consuetam revocandi erunt normam auxiliis. Si viscerum abdominalium obstructiones haematemesis provocavere, therapia solvens, ac evacuans opponenda erit. — Pari ratione hysterismus, et hypocondriasis suis convenientibus sanentur adminiculis. Febris intermittens cortice jugulanda. Scorbutus notis tractandus remediis. — Semper attamen in applicatione horum pharmacorum condignus habeatur organorum digestionis magis adhuc sensilium respectus.

Convalescentiae periodus demum attentionem medentis exposeit, qui in genere curandum habet ut: status debilitatis per vehementiam morbi inductus tollatur, organorum digestionis sensilitas imminuat, et congrua vivendi ratione redditus morbi — ad recidivas perquam proni — praecaveatur. — Caveat itaque convalescens ab omni ventriculi oneratione, a potibus spirituosis, calefacientibus, animi pathematibus, praeprimis ira; alvum servet liberam, vitet refrigerium omne, imprimis autem extremitatum inferiorum.

L I T E R A T U R A.

HIPPocrates, de morbis, libr. I^o. Sect. V.

GALenus, de locis affectis. libr. V. cap. 6.

CONRING, HERM. dissertatio de vomitu cruento. Helmstadii. 1636.

VEHN, Resolutio casus aegri sanguinem removentis. Frank. ad Viadr. 1696.

SCHEID, dissertatio de vomitu cruento. Argentorati, 1709.

WEDEL, GEORG WOLFGANG. Dissertatio aegrum vomitu cruento laborantem sistens. Jenae 1713.

ALBERTI MICHAEL. Dissertatio de vomitu cruento. Halae 1718.

DE HASSELT, dissertatio de vom. cruento. Argent. 1719.

BAUERMÜLLER, dissert. de hematemesi. Heripoli, 1725.

HOFFMANN FRID. dissert. de vomitu cruento. Halae 1729.

- LUTHER C. FR. diss. de vom. cruent. indole et cura. Erfurti 1732.
- BLUMENTHAL, diss. de aegro, spontanea ventriculi haemor. gravissima correpto. Hafniae, 1733.
- EDEL, diss. de vom. cruento. Argentor. 1742.
- BUECHNER, A. E. diss. de vom. cruento, plerumque per se non lethali. Halae, 1752.
- PEIL, diss. de vom. cruento. Duisburgi 1771.
- DUNCKER de vomitu cruento. Lipsiae 1776.
- QUARIN F. Animadversiones practicae in diversos morbos. Viennae 1786. Cap. 9.
- JACOBSON, Jos. M. diss. de vom. cruento. Frkf. a. V. 1786.
- THILENIUS, medic. u. chirurg. Bemerk. 1789.
- GIRARD, dissert. de Melaena. Argentor. 1789.
- MARCUS, diss. de vom. cruento. Frankf. a. V. 1790.
- SCHMIDT, diss. de vomitu imprimis cruento. Helmstadii 1792.
- BEDNARZCZYK, J. diss. de vom. cruento. Frankf. a. V. 1793.
- HAEHN de morb. nigr. Hipp. vom. et diarrh. cruen. Jenae 1796.
- VOGEL, S. G. Handbuch d. prakt. Arz: wiss. Stend. 1800.
- WARRÜRG. W. diss. de haematemesi. Frankf. a. V. 1803.
- DALCHÉ P. S. J., Essai sur l'embarras gastrique et le vomissement de sang. Paris 1803.
- SPANGENBERG, G. A. über die Blutflüsse in med. Hinsicht. Braunschweig. 1805.
- FRANK, J. P. de cur. hom. morb. epit. Mannheim 1807. Lib. V. P. 2. pag. 191.
- SIMON, C. M. dissertation médicale sur l' hématémèse. Paris 1809.
- LOMONIER BENÔIT, dissert. sur l' hématémèse. Paris 1812.
- REIL J. C. über die Erkenntniss und Cur der Fieber. 3 Bd. Halae 1797—1815.
- RICHTER, A. G. die specielle Therapie Berl. 1820 3ter Bd.
- HAASE W. A. über Erkennt. und Cur der chron. Krankh. Wien 1830. Iter Bd.
- RAIMANN J. Handb. d. spec. Path. u. Ther. Wien, 1831.
- BENE FRANC. Elementa Medicinae practicae e paelect. illius publ. edita. Pest. 1833—4. Tomi V.
- ZIMMER, D. diss. inaug. med. de haematemesi. Vindobonae 1833.
-

Theses defendendae.

1. Haematemesis, et morbus niger Hippocratis eundem sistunt morbum.
 2. Melaena non bilem, sed sanguinem evacuat.
 3. Physiologiae studium tutissima universae medicinae basis.
 4. Alcaloidea rite parata, purissimam exhibent matrum plantarum virtutem.
 5. Medicum eclecticum esse oportet.
 6. Ob syphilidem perperam America inculpatur.
 7. Lactatio matris sanitatem conservat.
 8. Mutatio climatis in multis morborum formis unicum remedium.
 9. Nulla dantur remedia specifica; hinc
 10. Medicorum conamina, haec quo plura detegendi, artis salutaris incremento plus nocuere quam profuere.
 11. Demta e penu remediorum phlebotomia medicum agere nolim.
-